

tertiam, et secunda immediate moveat tertiam, et illa quartam, et sic deinceps. Et sic clarum est tam ultimam causam quam omnes intermedias debere moveri a prima motu proprio in unaquaque recepto. At vero subordinatio essentialis inter omnes causas secundas respectu primæ in agendo, longe altioris ordinis est; est enim dependentia immediata ab ipso Deo, tam immediatione virtutis quam suppositi; et ideo secundum hanc rationem non pendet a Deo ut movente ipsas causas, sed ut coagente, et ut movente subiectum illud in quo agit causa secunda, quem modum coagendi et movendi primæ causæ Aristoteles non agnovit, ut ostendi.

7. *Responsio ad secundum locum.* — Unde ad alium locum respondetur, principium illud: *Causa secunda non movet nisi mota*, in physicis motibus, propter peculiarem rationem et imperfectionem, inveniri semper verum cum proprietate, supposito communi ordine causarum naturalium universi, sive talis motus requiratur in causa propter applicationem localem, ut fortasse est in motu cœli, sive propter influentiam causarum universalium, cuius indigentia in his rebus inferioribus et elementaribus invenitur. At vero, abstrahendo a moventibus et motis physice, et loquendo generaliter de causa secunda effectrice sufficienter constituta in actu primo, cum omnibus conditionibus prærequisitis ad agendum, ante influxum primæ causæ, non est vera illa propositio, in proprietate intellecta de motu recepto in ipsa causa agente, quia nulla ratio vel necessitas talis motus assignari potest, nec terminus propter quem requiratur, ut ex dictis est manifestum. Aristoteles autem, si in eo sensu et universaliter illam propositionem intellexit, ideo est quia putavit influentiam primi motoris non attingere immediate effectus causarum secundarum, imo nec ipsas causas secundas proximas, sed solum aliquam supremam, quam solam Deo esse immediatam cogitavit, et ideo posuit illam influentiam pervenire ad ultimum effectum per aliquem motum omnium causarum intermediarum, ut jam declaravi. Illa autem falsa et erronea cogitatione de medio sublata, impertinens est ille motus ad propriam influentiam primæ causæ per se requisitam ad actiones causarum secundarum, ut jam satis explicavi.

8. *Quomodo causa secunda dicatur ab Aristotele moveri a prima.* — Dixi autem non esse veram propositionem cum proprietate intellectam, quia per quamdam metaphoram, ut

Fonseca dicit, vel secundum quamdam proportionem, ut ego in *Metaphysica* dixi, verissima est. Nam sicut in *Physicis* proximum movens, verbi gratia, baculus pendet a manu movendo, et non movet nisi motus, altiori modo pendet causa secunda in agendo a prima, nec illa agere potest nisi adjuta ab ista, et secundum hanc metaphoram vel proportionem solet concursus Dei vocari motio causæ primæ, non quia sit motio propria ipsius causæ secundæ, ut sic, sed quia est motio illius rei in quam agit causa secunda, et simul est auxilium ipsius causæ secundæ. Nec hæc interpretatio nova est, aut nostra: nam Cajetanus, 1 p., q. 14, art. 13, illam tradit, licet aliis verbis; ait enim, cum dicitur causam secundam non agere nisi motam a prima, id posse intelligi vel de motione prævia, vel de cooperativa, et in priori sensu esse falsam, in secundo autem veram, et ita esse intelligendam; constat autem motionem cooperativam non afficere causam secundam, nec illam proprie immutare. Scotus etiam, licet in multis locis repetat illam propositionem: *Causa secunda non agit nisi mota a Deo*, ut in 1, d. 2, q. 2, et dist. 8, q. 2, et d. 39, q. 5, § *Contra ista*, nihilominus in 4, d. 1, q. 1, expresse negat causam secundam recipere aliquid a prima, ex vi generalis concursus, et ideo necesse est ut illud axioma de cooperativa motione intellexerit. Lychetus etiam et Corduba supra allegati, licet a Cajetano dissentiant in usu distinctionis motionis præviæ vel cooperative ad respondendum Scoto, nihilominus distinctionem ipsam admittunt, dicuntque nunc causam secundam non moveri a Deo nisi motione cooperativa, et accommodata unicuique rei, quia Deus libere agit: dicunt autem aliud fuisse futurum, si Deus ex necessitate ageret, quod nunc nihil refert.

9. *Ad librum de Causis.* — Ad propositiones allegatas ex libro de Causis (quidquid sit de auctoritate illius libri et de sensu in quo loquitur de causa prima, quod longiorem postulabat disputationem, nunc non necessariam), respondeo virtutem primæ causæ esse virtutem omnium, non formaliter, sed effective; tum quia confert virtutem omnibus causis; tum quia omnes adjuvat, et cum omnibus operatur, ita ut sine illa nihil per se valeant reliquæ virtutes efficere, quæ omnia vera sunt sine prævia motione, ut jam satis explicatum est. Et similiter dicitur virtus causæ primæ conjungere causas secundas suis effectibus effective, quia immediate ac per se efficit cum

illis actiones earum per quas actiones formaliter conjunguntur suis effectibus. Etenim, licet daretur influxus prævius, non conjungeret formaliter causam secundam suo effectui, quia ex vi illius adhuc maneret causa in actu primo, ut supra ostensum est, et ita semper conjunctio formalis fit per actionem; ut autem causa prima efficiat illam conjunctionem, non est necessaria virtus diffusa, sed per suam increatam virtutem id facit, atque adeo per concursum simultaneum, ut jam supra declaratum est.

10. *Conclusio.* — Ex his ergo propositionibus, et ex aliis quæ de illo libro referri solent, nihil aliud quam cooperatio causæ primæ cum secunda comprobatur. Et si qui philosophi recte de Deo senserunt, hoc modo efficientiam ejus in omnibus et cum omnibus causis explicarunt. Solentque referri Plato in *Timæo*, in quo nihil clarum invenio, et Trismegistus, in *Dialogo Crater*, quem videre non potui. Verba autem Philonis in libro, *Quod sit incorruptibilis mundus*, parum a medio, quæ Boetius refert et commendat, hic referam, quia optima sunt: *Deus* (inquit) *inspicit singula, paternam curam gerens rerum omnium, et ut vera fateamur, aurigæ more gubernatorisque regit et gubernat universa, soli, lunæ, cæterisque syderibus, aeri quoque, cæterisque mundi partibus assistens, cooperando quidquid ad universalitatem, rectamque et inculpabilem dispensationem pertinet.* Cum ergo, ex sententia philosophorum recte sentientium, divina cooperatio ad ejus universalem efficientiam cum causis secundis satis est, solique illi posuerint influentiam præviam in causam vel remotam, qui de immediata Dei efficientia in omnibus actionibus creaturarum non recte senserunt, negari non potest quin sententia nostra in vera philosophorum auctoritate solidius habeat fundamentum quam contraria.

CAPUT XL.

SOLVENDO RATIONES ASSERTIONI NOSTRÆ CONTRARIAS, EADEM VERITAS AMPLIUS CONFIRMATUR.

Cum dictum et probatum sit, ad demonstrationem assertionis positæ, satis esse ostendere prævium influxum in causam non esse necessarium, si rationes omnes haecenus excogitatae ad persuadendam hanc necessitatem invalidæ ostensæ fuerint, profecto sola talium rationum solutio ad assertionem confirmandam sufficere posset, ac deberet. Hoc ergo superest in hoc capite præstandum, in quo septem

rationes primas quæ in agentibus naturalibus locum habent, dissolvemus.

1. *Quomodo causa secunda nihil agat nisi in virtute primæ, quæ erat prima ratio probandi concursum prævium.* — Prima ratio nitetur in illo principio, quod causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primæ, quod verissimum est: ejus autem legitimus sensus est, quem capite præcedenti insinuavi, scilicet, causam secundam non habere virtutem per se et (ut ita dicam) solitarie agendi, sed in omni actione sua debere cooperativo nihil agere potest; et ita dicitur in libro de Causis, in principio, quod causalitas causæ secundæ formatur per causalitatem causæ primæ, quia scilicet in omnibus Deus immediatius, et intimius, ac principalius operatur, ut fere exposuit D. Thomas in 2, d. 1, q. 1, ad 4. Ad hoc autem necessarium non est ut, præter virtutem agendi permanentem, et in suo genere efficientem, quam etiam habet a prima causa, recipiat in se aliam virtutem fluentem, quia non in virtute illius agit, sed in virtute increatæ potentiæ in ipso Deo existentis. Cujus signum est, quia, etiamsi virtus permanens causæ secundæ intelligatur affecta alia virtute fluente, utraque nihil agere potest nisi in virtute causæ primæ, non solum quia utramque dedit et conservat, sed etiam quia utraque pendet essentialiter a proprio influxu immediate procedente a virtute increata primæ causæ. Unde dato antecedenti in dicto sensu, negatur consequentia, quia, supposita insufficientia virtutis causæ secundæ, est superflua alia virtus creata fluens, neque in illa fundatur illud principium, quia licet causa prima et secunda simul concurrant, et secunda non indigeat alio prævio concursu, nihilominus non concurrunt ut duæ causæ ejusdem generis, neque se juvantes quasi per accidens ex utriusque insufficientia, sed ut causæ diversorum ordinum, quarum inferior est per se sola insufficientis, et essentialiter dependens a superiori, et ideo agit in virtute illius, non vero e contrario, quia superior per se potens est et sufficiens, ut supra dictum est. Unde omnia quæ ibi afferuntur ad probationem antecedentis supervacua sunt, et coincidunt cum secunda ratione, ubi expediuntur.

2. *Ad confirmationem, virtutem causæ secundæ esse actum primum admixtum potentiæ, quomodo id intelligatur.* — Ad confirmationem, cum in ea sumitur virtutem causæ secundæ esse actum primum, ac proinde esse

actum admixtum potentiæ, æquivoca est et ambigua propositio, et ideo distinguere et explicare illam oportet. Nam est sermo de virtute mere activa, ut est illa quæ agit actione transeunte, vel est sermo de virtute quæ ita est activa, ut sit etiam receptiva, ut sunt potentiæ animæ. Item cum aliqua ex his virtutibus dicitur esse actus admixtus potentiæ, illud potest intelligi, vel de potentia passiva, vel de aliquo alio genere potentialitatis. Loquendo ergo de virtute mere activa, etiamsi sit purus actus primus et separabilis ab actu secundo, id est, ab actione, non inde fit talem virtutem esse actum admixtum potentiæ receptivæ; nam licet careat actione, non manet in potentia receptiva actus sui, quia etiam quando agit, illum in se non recipit. Quod si dicatur actus admixtus potentiæ, solum quia potest actu non agere, hoc non obstat quominus habeat perfectionem actualitatem quam sua actio, quia ipsa actio, comparata ad formam, quæ est terminus ejus, est actus imperfectus, quia est via quædam, sicut de omni motu et mutatione Aristoteles dixit; forma autem quæ est terminus talis actionis non habet perfectionem actualitatem quam forma quæ est principium actionis, sed vel minorem, ut in causis æquivocis, vel ad summum æqualem, ut in causis univocis; ergo quod talis actus primus possit isto modo esse in potentia, non ideo indiget nova actualitate sibi inhærente, ut redeatur in actum secundum, nam per solam actionem ab eo exeuntem constituitur in actu secundo cuius est capax. Cujus etiam signum est, quia licet fingatur amplius actuata per aliquid additum, nondum est constituta in actu secundo, neque aliquo intrinseco initio ejus, ut capite 28 probatum est.

3. *Id explicatur in potentiis animæ.* — De potentiis autem animæ, fatemur habere potestatem activam admixtam potentiæ passivæ, sed hoc non obstat quominus in sua entitate et in sua activitate habeant actualitatem simpliciter perfectionem quam earum operationes, quia, licet talis potentia, in quantum passiva, secundum quid sit minus perfecta quam sua operatio, in quantum activa, est simpliciter perfectior. Sicut anima passive etiam comparatur ad potentiam quam in se recipit, et nihilominus perfectionem habet actualitatem, quæ omnia philosophis notissima sunt, et sane ad præsens punctum parum referunt; nam etiamsi fingatur intellectus, verbi gratia, cum illo prævio influxu, adhuc est in potentia receptiva sui actus secundi, et per suam entitatem,

vel per habitum aut speciem aliquam habet sufficientem virtutem in suo genere causæ ad producendum suum actum, ad quem est in potentia receptiva; ergo inde etiam habet perfectionem actualitatem; ergo illa alia actualitas quasi media necessaria non est.

4. *Explicantur variæ propositiones ab adversariis allatæ in secunda ratione.* — *Prima propositio, esse existentia est proprius effectus Dei, quomodo vera sit.* — *D. Thomas.* — In secunda ratione aliquæ propositiones assumuntur, quæ in legitimo sensu veræ sunt, male autem applicantur. Prima est quod esse existentia est proprius effectus Dei, quæ, ut vera sit, non est ita intelligenda ut solus Deus dicatur facere esse existentia, hoc enim aperte falsum est, alias causæ secundæ nihil efficere, ut statim dicam. Tribus ergo modis dicitur esse existentia proprius effectus Dei ex *D. Thoma* in 2, d. 1, quæst. 1, art. 4. Primo, quia solus Deus potest illud facere ex vi sui esse, et sola virtute sua, quia solus ipse est ipsum esse per essentiam, et omne aliud est participatum. Secundo, quia solus Deus habet pro adæquato objecto suæ potentiæ activæ ipsum esse participatum, seu participale, ut est manifestum. Tertio, quod hinc sequitur quod solus Deus facit per se primo ipsum esse, ac proinde nulla causa secunda confert suo effectui totum esse illius, nam omnis actio creaturæ supponit aliquod ens, ex quo suum effectum faciat, et ideo non facit per se primo ens, seu esse, sed tale ens, vel tale esse. Deus autem ad suam propriam actionem nullum esse necessario supponit in re quam facit, ut in creatione patet, et quando rem præexistentem perficit, vel cum causa secunda operatur, licet aliquod esse supponat, non tamen ab alio factum quam a seipso. Sic ergo productio ipsius esse secundum omnem hujusmodi perfectionem est propria Dei; causa autem secunda, quando producit effectum, licet illi det esse, non tamen cum illo modo et perfectione qua Deus, et ideo ex hac parte non indiget illa prævia motione, vel elevatione; nam ad suum agendi modum generalis concursus simultaneus illi sufficit.

5. *Secunda propositio: creatura non dat esse nisi ut instrumentum Dei.* — *Explicatur.* — Alia propositio ponitur in prima illatione illius rationis, scilicet, creaturam non dare esse nisi ut instrumentum Dei; quæ tangit philosophicam quæstionem, an causæ secundæ sint instrumentales, vel principales respectu suorum effectuum, in quo Platonici posuerunt esse tantum instrumenta; quam sententiam refert

et approbat Damascenus in sua Physica, cap. 9; et Simplicius, 2 Physicorum, cap. 3, a. 29; et interdum ita loquitur *D. Thomas* in quæst. 3 de Potent., art. 7. Et illum loquendi modum defendit Cajetanus, 1 p., quæst. 43, artic. 5, § *Ad Durandum*. Aristoteles vero, secundo libro Physicor., et 5 Metaph., causas secundas simpliciter principales vocat, quia in suo genere agunt propria et sufficienti virtute; quem modum loquendi philosophi et Theologi communiter probarunt, quia revera est proprius, nam alius solum per analogiam introductus est, et ad explicandam subordinationem et dependentiam causarum secundarum a prima, et ad notandum quod causæ secundæ nihil possunt per se facere sine influxu primæ. Et hæc sine dubio fuit mens *D. Thomæ*, ut etiam Thomistæ communiter sentiunt. Quocirca causæ secundæ non dicuntur instrumenta, etiam illo Platónico modo, propter præviam instrumentariam virtutem fluentem illis additam quando actu operantur, sed quia virtutes earum permanentes sunt quasi instrumenta Dei, quia et ipse per illas tanquam principale agens operatur, et illæ sine actuali influxu illius operari non possunt, etiamsi ille influxus non sit motus in eis receptus, nam etiam in naturalibus instrumentis hoc necessarium non est, ut in Metaphysica ostendi, disp. 17, sect. 2, n. 14. Unde Damascenus supra, Platonem dicentem principem mentem esse efficientem omnium rerum causam, naturam autem instrumentalem esse, ipse explicuit, hoc est, adjuvantem causam esse pronuntiat.

6. *Distinctio modernorum rejicitur.* — Aliqui vero ex dictis modernis distinguunt inter causam secundam, ut communicantem effectui suam formam, vel ut dantem effectui esse, et sub priori ratione dicunt esse causas principales, quia forma producta non excedit perfectionem et actualitatem producentis; sub posteriori autem ratione dicunt esse propria instrumenta Dei, quia ut sic attingunt proprium effectum ejus, et ad hoc dicunt requiri præviam motionem, quia instrumentum non agit nisi ut motum. Sed distinctio hæc nec satis intelligi, nec satis probari potest, quia producere seu communicare formam, et dare illi esse, physice ac vere loquendo, non sunt duo: ergo vel utrumque fit a causa secunda ut ab instrumento, vel ut a principali causa. Antecedens patet, quia efficere nihil aliud est quam dare esse, nec aliter causa secunda communicat effectui formam suam, quam dando illi esse, non quidem essentia, nam hoc de se potentiale

est, nec fit actu, nisi cum conjungitur ei existentia. Item quia causa secunda non communicat suam formam, nisi educendo similem ex potentia materiæ; ergo per hanc educationem transfertur forma ab esse in potentia, ad esse in actu; ergo per illammet constituitur sub esse existentia. Consequentia vero prima per se clara est, quia sicut in termino idem est formam fieri, et recipere esse, ita etiam in causa eadem est virtus per quam efficit principaliter vel instrumentaliter.

7. *Pergitur in ea refutatione.* — Quapropter non magis completur causa secunda per motionem præviam in virtute agendi ad dandum esse, quam ad producendum formam talis speciei vel perfectionis. Imo licet ibi fingerentur duæ actiones re vel ratione distinctæ, una efficiens formam, et alia dans illi esse, etiam esset distinguendus duplex concursus simultaneus Dei, quia creatura nihil omnino facere potest sine tali concursu; ergo vel ad educendam formam sufficit concursus simultaneus, et ita ille erit primus concursus Dei, et consequenter alius similis sufficere ad dandum esse, et potius ille prior erit quasi prævius ad secundum; quia si illa duo sunt in effectu distinguenda, prius est educere formam quoad essentiam, quam dare illi esse, quia essentia supponitur existentia tanquam potentia actui. Non ergo erit necessarius alius concursus prævius in ista causa ad dandum esse, quia ex illa priori productione formæ necessario resultat ipsum esse, cum concursu imbibito in illa resultantia seu productione ipsius esse. Nec videtur posse probabiliter cogitari quod inter illas duas actiones, vel concursus, re vel ratione distinctos, interveniat tertius prævius ad efficiendum esse, et subsequens ad communicationem propriæ formæ. Vel certe si prævia motio ponatur ante totam efficientiam causæ secundæ, tam ut communicantis suam formam, quam ut dantis esse, sic æque completur per illam præviam motionem in virtute agendi sub utraque ratione, et ita non magis sub una erit causa principalis vel instrumentalis quam sub alia.

8. *Assertio.* — *Causa secunda est causa principalis in suo genere.* — Dico ergo unamquamque causam secundam in suo genere esse causam principalem, tam sui effectus, quam esse quod illi tribuit, ac proinde supervacaneam, et sine fundamento rationis postulari motionem propter effectionem ipsius esse. Quia sicut forma communicata effectui non excedit formalem perfectionem causæ, ita neque esse,

quod fit in effectu, perfectius est quam esse causæ, et sicut forma fit ut actu existat, ita forma causæ est principium agendi ut est in actu, atque adeo per suum esse actuale non minorem actualitatem habet, quam sit esse datum effectui; ergo quoad utrumque est principium principale proximum; ergo ex hac parte non indiget prævia motione. Aliunde vero ad hanc principalem efficientiam causæ secundæ, etiam respectu illius esse quod facit, necessarium non est ut det esse independentem ab ipso esse per essentiam, neque ut primo per se attingat ipsum esse, vel sub communi ratione essendi, vel non præsupponendo aliquod esse in effectu, sed satis est quod in suo genere, per se et propria virtute, attingat illud esse, quod antea non erat nisi in potentia et per talem actionem in actum reducit, concurrente prima causa a qua omne esse creatum essentialiter dependet; neque enim causa secunda est principalis in omni genere, vel independens ab omni superiori causa, sicut est Deus, quod verum est, sive consideretur ut dans formam, sive ut dans esse suo effectui; ergo sub utraque ratione sufficit dependentia a Deo per intrinsecum et simultaneum concursum.

9. *Tertia ratio adversariorum rejicitur.* — *Quid sit concursum causæ secundæ pendere essentialiter a concursu causæ primæ.* — Ad tertium, cum in eo sumitur concursum causæ secundæ essentialiter dependere a concursu causæ primæ, si intelligatur, ut verba in rigore sonant, de utroque concursu, ut est aliquid egrediens a sua causa, et realiter ab illa distinguitur, et de dependentia effectiva, sic falsum est antecedens; quia concursus causæ primæ et secundæ in re non distinguuntur, sed sunt una simplex actio cum duplici habitudine transcendentali, ut cum D. Thoma et communi sententia diximus; et ita concursus in re non fit a concursu, neque unus pendet effectiviter ab alio, quia idem non facit seipsum, neque a seipso pendet; sic ergo intellectum antecedens negandum est; ad probationem autem negatur, inde sequi ea incommoda quæ ibi inferuntur, ut jam declaro. Quamvis enim concursus causæ secundæ non pendeat a concursu intrinseco causæ primæ in genere causæ efficientis, ut dictum est, nihilominus pendet essentialiter ab ipsa causa prima, et ab ejus voluntate, quam aliqui vocant concursum Dei internum, respectu cujus verissime dicitur concursus causæ secundæ pendere essentialiter a concursu interno causæ primæ; est enim de

essentia actionis causæ secundæ ut simul ac principaliter a Deo fluat, et ideo essentialiter pendet a causa prima, et ideo quasi formaliter dici etiam potest concursus causæ secundæ essentialiter pendere a concursu causæ primæ, vel potius illum includere ad eum modum quo ratio specifica potest dici pendere a generica, quia illam essentialiter includit.

10. *Ea propositio sic explicata non juvat adversarios.* — Et hinc fit necessarium non esse (quod in prima consequentia illius rationis infertur) concursum causæ primæ utique proprium, et ad extra, esse priorem ordine causalitatis concursu causæ secundæ, quia ubi non est causalitas non potest esse prioritas quæ in illa fundatur; sed ostensum est unum concursum non esse causam alterius, quia sunt idem; ergo nec prioritas esse potest. Et hoc ipsum fatentur dicti Thomistæ de concursu simultaneo; nunquam tamen probant esse necessarium alium concursum externum causæ primæ, qui sit vera causa efficiens actionis causæ secundæ, et consequenter prior natura concursu causæ secundæ. Et possumus argumentum retorquere, quia alias etiam esset concedendum unum concursum causæ primæ esse priorem natura alio concursu ejusdem primæ, quod non videtur admittendum, loquendo de proprio concursu ad extra, quia revera superfluum est. Atque hæc omnia coguntur dicti auctores concedere de concursu simultaneo Dei ad extra, comparato cum influxu causæ secundæ. Satis est igitur quod concursus ad intra, seu voluntas concurrenti, sit prior causalitate et natura, quam concursus causæ secundæ. Comparando autem inter se causas primam et secundam, causa prima dicitur prius influere, non prioritate naturæ in ordine causalitatis fundata, sed prioritate perfectionis et independentiæ, aut etiam illa quæ dicitur in subsistendi consequentia, quia Deus, quantum est ex se, potest agere sine causa secunda, non vero e converso. Et eodem modo, si concursus ipsos secundum rationem distinctos inter se conferamus, potest concursus Dei eisdem modis dici prior, licet non causalitate, vel ordine naturæ, sed intimius attingendo terminum, ut explicuit etiam Cajetanus, 1 p., quæst. 14, art. 13, et quæst. 19, art. 8.

11. *Inde non sequitur causam secundam esse primum principium suæ actionis.* — Nec hinc sequitur (quod in eadem ratione referebatur) causam secundam esse primam in agendo, seu primum principium suæ actionis, quia non dicitur Deus causa prima, vel primum princi-

pium, ex eo quod prius natura efficiat suum effectum quam causa secunda, quando cum illa operatur, nec prius sola efficiat aliquem concursum priorem actione causæ secundæ, sed dicitur prima, quia non pendet ab alia in agendo, quod nulla alia causa habet, nam omnis alia requirit auxilium superioris causæ quæ a nullo pendeat. Neque oportet ut hoc auxilium sit prævium et receptum in causa, sed sufficit simultaneum et inclusum in actione causæ secundæ. Unde nulla est illatio, quæ in argumento fit, quod, si causa secunda non indiget prævio influxu prioris, etiam non indigeat auxilio causæ prioris, quia est illatio ab inferiori ad superius negative, ac si quis inferret, si homo non indiget carne ad vivendum, non indigere cibo. Concursus enim concomitans verum auxilium est, et causa quæ sine illo agere non potest, eo ipso non potest agere sine auxilio et influentia prioris causæ. Hoc ergo satis est ut non sit primum principium in agendo.

12. *Confirmatur ex sancto Thoma.* — Et hoc ipsum revera tradit D. Thomas in 2, d. 37, quæstione 2, articulo 2, cujus ratio et intentio ibi non fideliter allegatur. Tractat enim ibi D. Thomas, an actus peccati, ut actus est, sit effective a Deo, refertque opinionem negantem Deum concurrere ad illum actum, eamque refutat deducendo ad illud inconveniens, quod voluntas in eo actu ageret ut prima causa et primum principium; illationem autem facit his verbis: *Ex ea videtur sequi quod sint plura prima principia, hoc enim est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, et influentia ejus. Unde si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus actor non esset Deus, voluntas humana rationem primi principii haberet.* In quibus verbis adverto mutata esse a P. Alvarez dicta disp. 18, n. 14; nam ubi D. Thomas ait: *Si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus actor non esset Deus, ipse dicit: Si voluntas humana aliquam actionem produceret absque motione prioris agentis, quæ verba ad minimum æquivoca sunt, et ab ipso in alio sensu referuntur, qui verbis D. Thomæ non continetur.* Nam juxta verba D. Thomæ, ratio ejus non procedit contra eos qui fatentur actum peccati non posse fieri sine concursu simultaneo Dei, etiamsi negent non posse fieri sine prævia motione, nam actio quæ fieri non potest sine concursu simultaneo Dei, talis certe est, ut ejus actor sit Deus; ergo si voluntas ad illam requirit concursum simultaneum Dei,

non potest agere actionem cujus actor non sit Deus; ergo, stante necessitate concursus simultanei, discursus D. Thomæ immerito, et sine ulla probabilitate, applicatur contra negantes motionem illam præviam, quod maxime necessarium judico in concursu ad actum peccati, ut infra dicam. Hic tamen advertere non omittam, licet D. Thomas soleat concursum simultaneum nomine motionis appellare, ut supra declaravi, nihilominus, quia ibi tractabat de concursu ad actum peccati, ne pias aures offenderet, noluisse Deum appellare motorem ad illum actum, sed illius actorem, et ibi tacite alia loca explicuisse, ut concursus intelligatur tantum esse motio cooperativa, ratione cujus dicitur Deus agere actionem causæ secundæ.

13. *Continuatur explicatio verborum divi Thomæ.* — Atque ita reliqua quæ in illo argumento adduntur, non procedunt contra nostram sententiam: nam responsio quam ibi D. Thomas refert et refutat non est nostra; imo nos etiam illam reprobamus, quia, ut voluntas in nulla actione sua operetur ut primum principium, non satis est ut nec esse nec virtutem agendi habeat a se, sed necessarium esse dicimus ut sine influxu primæ causæ nihil possit operari. Nam hoc sequitur ex primo, ut optime replicat D. Thomas in prima ratione sua; nam agere est proportionatum ad esse; ergo quod esse non potest sine influxu prioris agentis, neque agere potest sine simili influxu. Dicimus autem ad hoc sufficere influxum simultaneum, nam cum solo illo verissima est illa propositio: *Cujus essentia ab alio est, oportet, ut et virtus, et operatio ab alio sit:* nam per virtutem ibi non intelligit D. Thomas prævium concursum (cum dicat virtutem ab essentia rei procedere); operatio autem non est a Deo, nisi per simultaneum concursum. Item ille concursus sufficit ut causa secunda non sit primum agens, quia ejus actio vere reducitur in primum agens, scilicet Deum, tanquam in causam, quia per illum concursum Deus vere est agens illius actionis, et est prius prioritate universalitatis et independentiæ, ut supra declaravi. Et ita etiam male explicatur contra nos secunda replica ex D. Thoma sumpta.

14. *Idem ostenditur.* — Denique, idem concursus simultaneus sufficit ut voluntas seu causa secunda non habeat agere a se, quod in tertia replica D. Thomas assumit, quia illa particula *a se*, excludit omnem influxum superioris causæ. Et in hoc sensu procedit ra-